

consilio praenosci poterant, et ita ad unum sensum determinata ut non nisi in uno rei eventu impleri possent. Sed iam de his satis.

Hoc unum addere praestat ad aequivocationem omnem tollendam, absolute loquendo non repugnare unum vel alterum veri nominis prodigium apud Gentiles patratum fuisse, aut verum aliquod apud eos vaticinium editum esse: imo, ut superius innuimus, non desunt inter doctores Ecclesiae qui existimant ex graverum esse prodigium Vestalis virginis aquam in cribro ad Capitolii arcem deferentis, vel oracula quaedam a Sibyllis prolata vera vaticinia fuisse. Sed haec nobis minime officiant. Non enim in confirmationem Ethnicae superstitionis haec facta sunt, neque ad eam confirmandam ullo modo pertrahi possunt, sed per eadem Deus aliquam veritatem confirmare voluit, aut aliquam veram virtutem, quae in Gentilibus quibusdam inveniretur, probare. Ita ex. gr. citatum Vestalis miraculum ad virginitatem eius et castitatem probandam editum fuisset, quemadmodum inter ceteros sanctus Thomas affirmari posse opinatur inquit (De potent. quaest. 6^a art. 5^o): « Non est remotum a veritate quod in commendationem castitatis Deus per Angelos suos bonos huiusmodi retentionem aquae per miraculum fecisset. » At vero miracula Christi et Apostolorum numero paene infinita, ad Christianae Religionis confirmationem parata sunt, eamque certissime veram demonstrant.

Concludamus igitur: semel admissa librorum Novi Testamenti veritate, necessario divinam Christi et Apostolorum missionem, et consequenter Christianae Religionis veritatem, divinamque originem esse admittendam.

SECTIO II.

DE AUCTORITATE HISTORICA LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI

Praenotanda. Probata Novi Testamenti veritate, iam tuto accedere possumus ad Veteris Testamenti libros considerandos, quorum veneranda antiquitas, summa difficultas atque obscuritas fundamento illo indigebant, ut certa demonstratione ut authentici et veri demonstrari possint. Antea vero nonnulla de hisce libris generatim praemittenda sunt.

I. Libri Veteris Testamenti sunt ii omnes qui ante Christi adventum a sacris Hebraeorum scriptoribus prodierunt. Sunt autem omnino numero quadragintaquinque: ex quibus, ut alias vidimus, septem *deutero-canonicali* appellantur, scilicet *Baruch, Tobias, Iudith, Ecclesiasticus, Sapientia*, et duo libri *Machabaeorum*, ceteri triginta octo *protocanonicali* sunt scilicet in canone Sacrorum Librorum apud Hebraeos usque ab initio recepti. Hi autem in *viginti duas* sectiones ab Hebraeis dividi solebant iuxta numerum litterarum alphabeti hebraici, ab aliis etiam in *viginti septem* sectiones, nempe quinque literis finalibus, aliquando etiam, praesertim apud recentiores Hebraeos, in *viginti quatuor* (1) unde orta apud eos appellatio *ספר הארבעה ועשרים* idest *codex viginti quatuor* (librorum): iterum autem totum librorum canonem in tres partes dividebant, ut alias diximus, quas appellabant *Legem, Prophetas* et *Agiographa*. Quinam autem libri ad singulas classes pertineant ibidem innuimus.

II. Quanta porro istorum librorum gravitas sit, pro nobis etiam Christianis, et quantus ex eorum studio sperandus sit fructus ex

(1) Nempe isti separant librum *Ruth* a libro *Iudicum* et *Lamentationes* Ieremiae ab eius *prophetia*, quae in communiori hebraeorum divisione coniuncta sunt, et ita efficiunt numerum XXIV: ut autem litterae alphabeti iis sufficiant ter repetunt litteram *jod*, et id quidem in honorem nominis Dei; nam littera *jod* ter repetita apud Chaldaeos et Rabbinos Chaldaizantes stat pro nomine tetragrammato יְהוָה

eo imprimis apparet, quod ii libri non secus ac Novi Testamenti Spiritu Sancto inspirante exarati sint eo fine, ut omnium temporum hominibus auxilio ac solatio esse possint, dicente Apostolo: « Quaecumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturaram spem habeamus » (Rom. XV). Si vero in specie Veteris Testamenti utilitatem indagare velimus, apparebit eos libros tum *dogmaticos*, tum *historicos*, tum etiam *philologicos* maximi momenti esse. 1° Quidem *dogmaticos*, nam licet verum sit Christianae fidei dogmata in Novo Testamento praecipue inveniri, ad fidei tamen confirmationem multum conferunt Veteris Testamenti libri. Huc pertinent imprimis Prophetarum vaticinia de Christo et Ecclesia, ex quorum implemento veritas Christianae religionis mirifice comprobatur: item concordia et harmonia inter Legem Veterem et Novam, quae utriusque veritatem divinamque originem etiam difficilioribus persuadendi vim habet, et miram Christianae religioni lucem affundit: hoc etiam pertinent plurima expressa pro singulis dogmatibus testimonia, quibus Theologi ad eadem demonstranda secundum Christi et Apostolorum exemplum passim utuntur, item plurima virtutum vel monita vel exempla ad mores informandos aptissima: 2° *historicos*, hi enim libri historiam continent remotissimae aetatis ac totius humani generis originem, populorum initia, ac mundi veluti infantiam referunt, quae nusquam alibi inveniri possunt. Hinc maximi momenti est eorundem librorum authenticam et veritatem in tuto collocare a quibus omnem historiam incipere necesse est. 3° Denique etiam *philologicos*, et sub aspectu mere literario. Omnia enim variarum rerum notitia, sublimitate eloquentiae, poeseos admirabili pulchritudine ac nobilitate, hi libri continent unicum monumentum *directum* quod superest linguae hebraicae, ex ea scilicet aetate profectum qua eadem lingua vernacula erat. Quapropter si quis hebraicae linguae notitiam acquirere amat ad hosce libros necessario confugiat oportet; inde autem etiam Graeci textus Novi Testamenti recta intelligentia magna ex parte pendet; quamvis enim Graecis vocabulis constet, inoleum tamen et idiomata hebraicae linguae passim retinet.

Ex hisce omnibus manifestum est quam gravis sit controversia quam modo tractandam aggredimur de Veteris Testamenti auctoritate ac veritate.

III. Adversarios habemus eos omnes, quos incredulos vel Deistas olim appellabant, nunc autem rationalistas vocare solent. Qui omnes probe animadvertentes revelatae Religionis initia ac fundamenta in hisce libris contineri eorum veritatem magno molimine, pertinaci labore, ingenti eruditionis ac philologiae praesertim apparatu aggressi sunt, et in dies aggrediuntur. Quorundam nomina lectoribus iam nota sunt ex disputatis de Novo Testamento: multo plures commemorandi erunt in sequentis tractationis decursu, praee ceteris vero Colenso pseudo-episcopus Anglicanus in dioecesi Natalensi in Africa, qui postremis hisce annis primum Moysis ac Iosue libros, tum etiam ceteros historicos V. T. pluribus editis voluminibus impugnandos suscepit (1862-63 seqq.).

IV. Antequam vero ad rerum tractationem accedamus pauca de methodo disputationis, et de vario demonstrationis genere monenda sunt. Duae itaque sunt viae, quas inire possumus ad ostendendum valorem historicum librorum V. T.; altera est *via auctoritatis*, si scilicet ex testimonio scriptorum N. T., seu Christi et Apostolorum, qui in iis libris loquuntur, probetur libros V. T. authenticos esse et fide dignos; altera vero est *via critica*, si nempe criticis argumentis per quosdam veluti gradus auctoritas eorundem librorum stabilietur, quemadmodum pro N. T. factum est. Alter hic modus procedendi difficilior profecto est, et incertior ob summam temporis vetustatem ad quod libri V. T. pertinent, et ob inopiam monumentorum ac testium. Qua in re longe dispar est conditio horum librorum, ac librorum N. T. Pro his enim seriore epocha conscriptis omnis generis monumenta et ingens testium numerus adduci potest, qui historicam eorum veritatem extra omnem dubitationis aleam collocant: contra vero fit de libris V. T. ut alias innuimus. Quare altera via, auctoritatis scilicet, facilius multo ac certior est. Cum enim a nobis veritas librorum Novi Testamenti, et exinde Christi divinitas et divina Apostolorum missio certissime demonstrata sit, si nunc eorum testimonio demonstraverimus libros V. T. fide dignos esse, res confecta erit, nec adversarii alteram illam et operosam disquisitionem iure a nobis exigere poterunt. Verum ne difficultatem effugere videamur postquam laudatam demonstrationem dederimus ex libris N. T. desumptam, addemus etiam postea *criticam* V. T. demonstrationem, et paribus armis cum rationalistis congrediemur.

CAPUT I.

DEMONSTRATUR POSITIVE, SEU VIA AUCTORITATIS,
VERITAS LIBRORUM V. T.

THESIS XXI.

*Libri sacri V. T., saltem proto-canonici,
veri ac authentici demonstrantur ex testimonio Christi
et Apostolorum, quod in libris N. T. continentur.*

In propositione diximus *saltem proto-canonici*: nam licet verum sit testimonia Christi et Apostolorum posse aliquo modo extendi etiam ad deuterocanonicos, habita praesertim ratione Graecae versionis Alexandrinae, ad quam passim appellant, quaeque libros etiam deuterocanonicos complectebatur, tamen hoc argumentum non ita certum et indubitatum omnibus videtur, nec in praesentiarum in animo est litem cum adversariis hac de causa movere. Satis igitur erit de proto-canonicis agere, qui alioquin fere integrum V. T. constituunt, reservata ad alium locum quaestione de libris deuterocanonicis. Quibus praemissis,

I. Thesim sequenti argumento demonstramus.

li libri fide digni sunt, qui uti tales a Christo et ab Apostolis habiti ac propositi fuerunt. Atqui libri V. T. proto-canonici a Christo et ab Apostolis ut fide digni habiti ac propositi fuerunt. Ergo fide digni sunt.

Maioris propositionis veritas ex eo pendet quod Christus et Apostoli errare in hoc iudicio ferendo non potuerunt, utpote qui divina missione fungebantur, Christus autem ipse Deus erat: quod quidem ex tota praecedenti Sectione colligitur et in superiori Thesi expresse demonstratum est.

Minorem propositionem ita probamus.

li libri tamquam fide digni habiti ac propositi sunt a Christo et ab Apostolis qui ab iis fuerunt 1° frequentissime allegati: 2° indiscriminatim et absque ulla restrictione commendati: 3° tamquam

fundamentum suae doctrinae passim assumpti. Atqui tales sunt libri V. T. Ergo etc.

Maioris propositionis veritas apertissima est; siquidem divini legati et Christus ipse nunquam ita se gessissent erga libros V. T. nisi persuasum eis fuisset, eos undequaque veraces et authenticos esse. Agebatur enim de libris in quibus divina revelatio contineri credebatur, quique proinde tamquam fidei ac morum regula habendi erant. Quare si eorum veritas vel ex integro vel ex parte certissima non fuisset, praefata Christi et Apostolorum agendi ratio homines in errorem, et quidem invincibilem, ac irreparabilem in negotio religionis induxisset. Quod autem Christus et Apostoli ita se gesserint ut in minori affirmavimus ex libris N. T. facile demonstratur.

Et sane 1° ad *allegationes* quod attinet pleni sunt libri N. T. testimoniis ex Moysae, Prophetis, Psalmis, et generatim ex omnibus partibus V. T. a Christo et ab Apostolis citatis. Confer ex. gr. Matth. cap. I et II, ubi plura Prophetarum testimonia allegantur de Christo infante: item historiam passionis Christi Domini praesertim apud Iohannem (cap. XIX): item Act. cap. II, III, XV, Rom. IV, IX, X et Hebr. I, ubi Paulus plura ex V. T. loca congerit ad scopum suum accommodata: et ne plura afferamus satis erit oculos conicere in indices locorum qui ad marginem, vel ad calcem librorum N. T. in plerisque editionibus apponi solent, ex quibus apparet nullum fere esse librum V. T. (proto-canonicum) ex quo aliqua testimonia Christus et Apostoli non allegaverint; imo ex praecipuis libris quamplurima testimonia allegata fuisse apparet: sic ex. gr. ex Pentateucho Moysis LXVIII testimonia, LXIV ex Psalmis Davidis, fere totidem ex Isaia, ex ceteris prophetis quamplurima. Ubi etiam notandum est, praefata testimonia promiscue allegari ex omnibus V. T. partibus sive dogmaticis, sive propheticis, sive tantum historicis, quod manifeste ostendit nullam a Christo et ab Apostolis factam fuisse inter partes et partes distinctionem.

2° Verum non tantum allegaverunt Christus et Apostoli V. T. libros, sed et indiscriminatim *commendarunt* ut omni exceptione maiores. Ut autem id melius intelligatur praenotamus Sacram Scripturam V. T. aetate Christi uno volumine comprehensam generali appellatione *Scripturae* (ἡ γραφή) designatam fuisse, quandoque etiam iuxta divisionem alias memoratam appellatam fuisse *Legem, Pro-*

phetas et Psalmos, in qua enumeratione Psalmi pro tota classe *Agiographorum* (כתובים) ponuntur. Quoties igitur sub hisce appellationibus sacros libros commendari videmus in N. T. huiusmodi commendatio de integro V. T. intelligenda est. Hisce animadversis, breviter indicabimus praecipua loca ubi Christus et Apostoli Scripturam V. T. commendant. Imprimis itaque *generatibus* quibusdam *formulis* Christus et Apostoli Scripturam laudant: ita ex. gr. Matth. VII, 12: « Omnia ergo, ait Christus, quaecumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis. Haec est enim *Lex et Prophetiae*: » et Matth. XXII, 40: « In his duobus mandatis *universa Lex pendet et Prophetiae*. » Paulus etiam *omnem Scripturam* summis laudibus extollit in celebri loco 2 Tim. III, 16, 17, cui consentit Petrus in secunda sua epistola cap. I, v. 19. Verum non generali tantum elogio sacros libros exornant, sed eas etiam *praerogativas* illis tribuunt quae absolutam plenissimamque fidem iisdem conciliant. Aliquando enim eorumdem librorum *studium* fidelibus indiscriminatum commendant, eiusque *utilitatem* amplissimis verbis extollunt: ita Io. V, 39 ait Christus: « Scrutamini Scripturas,.... et illae sunt quae testimonium perhibent de me: » et Paulus loc. cit. Timotheum laudat eo quod « ab infantia sacras literas nosset, » easque utiles dicit « ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: » et Petrus fideles commendat quod lectioni Prophetarum « attenderent quasi lucernae lucenti in caliginoso loco » (2 Pet. I). Tam etiam Iudaeos aequae ac Christianos saepe redargunt eo quod Scripturarum studium negligerent, aut iis non satis crederent: ita Christus Matth. XXII, 29 Sadducaeos increpat hisce verbis: « Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei; » et Luc. XXIV duo discipuli adhuc de Christi resurrectione dubitantes audire meruerunt: « O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae loquuti sunt Prophetarum.... et incipiens a *Moyse, et omnibus Prophetis* interpretabatur illis in *omnibus Scripturis* quae de ipso erant, » et Io. V, 46: « Si crederetis Moyse, inquit Christus, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. » Hinc etiam saepe saepius idem Christus Scripturae loca *explicabat* sive publice in synagoga, ut Luc. IV, 16 seq., sive private ut in citato loco Luc. XXIV, Io. X, 34 et alibi. Denique Scripturae veritatem ita commendant ut eas prorsus *infallibiles* affirmant: ita Matth. V, 18 absolute Christus pronunciat: « donec

transeat coelum et terra *iota unum, aut unus apex* non praeteribit a lege donec *omnia* fiant: » ubi de universa Scriptura loquitur: nam antea praemiserat se non venisse ut solveret *Legem ac Prophetas*.

Eodem sensu aiebat Io. X, 34: « *Non potest solvi Scriptura,* » idest, iuxta hebraicam phrasim, non potest falsa esse, aut eventu frustrari: etiam Petro Christum in horto defendere volenti respondit Dominus: « *Quomodo ergo implebuntur* Scripturae quia sic oportet fieri? » Et discipulis apprensus post suam resurrectionem idem inculcabat inquires: « *Quoniam necesse est impleri* omnia quae scripta sunt in *Lege Moysi, et Prophetis et Psalmis* de me: » idemque praestant Apostoli ex. g. Act. I, 16, III, 21, XVII, 2, 3 et alibi. Ex quibus omnibus apparet, Christum et Apostolos libros V. T. ita commendasse, ut eis certissimam auctoritatem tribuerint.

3^o Crescit argumentum si consideremus usum, ad quem saepe Christus et Apostoli Scripturam V. T. adhibuerunt, scilicet *confirmandi, ac demonstrandi doctrinam* a se praedicatam: quod quidem passim occurrit in N. T. Ita ex. gr. Mt. XXII, 41-45 divina *Christi missio ac Filiatio* testimonio Ps. 109 a Christo ipso evincitur; interrogatis enim Phariseis quid ipsis videretur de Christo et cuius filius esset, cum illi respondissent: David, « ait illis: quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis etc. » itemque Io. X, 34 mirantibus et indignantibus Iudaeis quod Christus se dixisset eisdem cum Patre naturae eos Christus confudit adducto testimonio Ps. 81, 6: « Ego dixi Dii estis: » et Io. V, 46 ad testimonium Moysi eos provocat, ut supra vidimus. Paulus quoque ad Hebraeos scribens (Hebr. I.) eandem veritatem pluribus testimoniis demonstrat ex Ps. 11, 7; 2^o Reg. VII, 14; Ps. 96, 7; Ps. 44, 7; 101, 26, etc. Veritas *Resurrectionis Christi* testimoniis Scripturarum ab ipso Christo suadetur Luc. XXIV, 25-27, et 44-47, et paulo post a Petro Act. II, 30-31, XIII, adducto in medium testimonio Ps. 15, 10: « Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. » Alia etiam Christiana dogmata Scripturarum testimoniis demonstrant: ut fit ex. gr. de *mortuorum resurrectione* Matth. XXII, 31, 32, ubi Christus Sadducaeos resurrectionem negantibus aiebat: « de resurrectione autem mortuorum non legis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus

Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob? non est Deus mortuorum sed viventium. » Ita etiam mysteria *praedestinationis* et *gratiae* pluribus Scripturae locis probantur a Paulo Rom. IV, 3, 17, 18, IX, 14, seq. X. 5, 6, 8, 11, 13, 15, 16, etc. Gal. III, 6, 8, 11, 13 etc. ubi testimonia congerit ex libris Geneseos, Levitici, Numerorum, Psalmorum, Isaiae, Habacuc etc. *Matrimonii proprietates*, imprimis indissolubilitatem, probat Christus Matth. XIX ex verbis Gen. II, 21: « Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una, » ex quibus infert Christus: « Itaque iam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet. » Ex iisdem Geneseos verbis Paulus Eph. V, 28-31 deducit viros uxores suas diligere oportere. Denique *moralia* etiam praecepta et consilia Scripturarum testimoniis in N. T. suadentur. Ita Christus Pharisaeos eius benignitatem erga peccatores calumniantes redarguit Oseea verbis: « Euntes, inquit, discite quid est: misericordiam volo et non sacrificium: non enim veni vocare iustos, sed peccatores » (Matth. XIX, 13, coll. Os. VI, 6), idemque argumentum repetit Matth. XII, 7: « Si autem sciretis quid est: Misericordiam volo et non sacrificium numquam condemnassetis innocentes » ubi discipulos suos spicas tegentes die sabbati contra Pharisaeorum reprehensionem defendit. Quos etiam ibidem revincit, adducto Davidis exemplo, qui panes propositionis laicis vetitos comedit, et appellat ad locum Scripturae ubi hoc factum legitur (I Reg. XXI): « Non legistis quid fecerit David etc. » et iterum adducit exemplum sacerdotum qui iuxta Scripturam in Sabbatis servitio templi operam dare debent: « Non legistis, inquit, in Lege quia Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum violant, et sine crimine sunt? Dico autem vobis quia templo maior est hic. » Paulus quoque saepissime ad moralia insinuanda verba Scripturae adducit ut I, Cor. IX, 9, seq. X, 6-11, Hebr. IV, 1-11, et alibi: et in citato loco 2 Tim. III universam Scripturam utilem dicit « ad *corripendum* et ad *erudiendum in iustitia*, ut perfectus sit homo Dei *ad omne opus bonum instructus*. » Ex quibus omnibus apparet quam frequenter Christus et Apostoli Scripturas V. T. allegaverint, et indiscriminatim commendaverint, ac denique ut fundamentum veritatum quas praedicabant assumpserint. Unde sequitur eos laudatas Scripturas tamquam fide dignas habuisse, et fidelibus proposuisse.

II. Difficultatum solutio.

Obiic. 1° Cum Christus et Apostoli testimonia Moysi, Prophetarum, Davidis in medium adducunt dubitari merito potest utrum illorum auctoritatem et verba tantum allegare voverint, an etiam eorum *scripta*, seu *libros*, quos sub eorum nomine Iudaei venerabantur. Ergo Christi et Apostolorum testimonium certo non demonstrat eorundem librorum veritatem.

Respondemus. Ut vanitas huius difficultatis appareat, notandum est 1° apud Hebraeos nomine Legis, Prophetarum et Psalmorum ipsos *libros* designatos fuisse, non autem aliam doctrinam, aut aliam legem ore tenus traditam. Quoties igitur citantur Lex, Prophetae et Psalmi de ipsis libris allegatio intelligenda est. Verum 2° omne dubium removet modus quo haec allegantur a Christo et Apostolis, inquit enim: *Scriptum est; Scriptura dicit; numquam legistis?* et alias similes formas adhibent, quibus evidenter ostendunt se verba *agiographorum scripta*, seu *ipsos eorum libros* allegare. Accedit 3° omnia loca sic allegata in libris nostris re ipsa contineri.

Instant 2° Admisso etiam Christum et Apostolos sacros libros allegasse, eorum tamen testimonium non refertur nisi ad libros, quos Iudaei illius temporis prae manibus habebant, minime vero ad libros qui nunc sub nomine V. T. existunt.

Respond. Sophistica huiusmodi dubitatio excluditur 1° ex constanti et nunquam interrupta tom Christianorum, tum Iudaeorum traditione, ex qua certissime constat libros quos nunc habemus V. T. illos ipsos esse quos Iudaei aetate Christi uti sacros venerabantur: 2° ex comparatione locorum a Christo et ab Apostolis allegatorum cum V. T. editionibus, quas nunc prae manibus habemus: in his enim laudata illa testimonia leguntur, et in iisdem locis unde allegari dicuntur; quod quidem de librorum identitate nullam dubitationem relinquit, praesertim si ad allegationum *requentiam*, et *promiscuitatem* attendamus.

Instant 3° Admissa etiam librorum identitate, et allegationibus inde factis a Christo et ab Apostolis, adhuc tamen eorum testimonium veritatem librorum non demonstraret. Probandum enim esset eos ex propria sententia, sive ex animo Scripturarum loca citasse, et ad veritates probandas adduxisse. Atqui id nequit ostendi.

Poterant enim ex Iudaeorum sententia, seu *ad hominem*, uti aiunt, Scripturae testimonis uti. Cum enim Iudaei illorum librorum auctoritatem admitterent, Christus et Apostoli testimonia ex eis deducta contra eos afferebant, ut propriis eos armis expugnarent, quin tamen de obiectiva eorum veritate iudicaret.

Respond. Difficultas haec, quae prima fronte speciosa videtur, prorsus evanescit, si sequentia animadvertantur. 1° Si Christus et Apostoli Scripturas citassent ad hominem, et ut se Iudaeorum opinioni accommodarent, eas nonnisi in controversiis cum Iudaeis allegare debuissent. Quomodo ergo factum est ut eodem modo se gerant etiam cum ad Gentiles loquuntur, vel scribunt? Ita Paulus non minus Scripturae locis utitur in Epistola ad Hebraeos quam in Epistolis ad Corinthios, ad Ephesios, ad Romanos aliosque missis, quorum saltem plerique nunquam Iudaei fuerant, nec Scripturis V. T. crediderant antequam Christi religionem amplecterentur. Non ergo ad hominem, sed ex animo, et ex propria sententia Scripturas adducunt. 2° Christus Dominus non solum cum Iudaeorum turbas aut legis doctores alloqueretur Scripturas in medium adducebat, sed etiam cum discipulos privatim doceret, ubi argumentum ad hominem, et accommodatio locum habere non poterat: Apostoli enim intimi eius familiares erant, et novae religionis adversus Pharisaeos et legis doctores praecones ab eo constituti, quibus proinde Christus absque ulla ambagibus veritatem manifestabat iuxta illud: *vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis* (Luc. VIII, 10. Math. XIII, 11). 3° Denique testimonia a nobis adducta non tantum allegationibus constant, sed etiam generalibus quibusdam sententiis quibus Sacrae Scripturae summis laudibus extolluntur atque *utiles, verae, infallibiles* absolute praedicantur: quae quidem cum adversariorum hypothesi consistere nequeunt. Qui enim ad hominem argumentatur potest quidem adversariorum principia assumere ad eos revincendos, minime vero ipsa principia Iudare, et tanquam vera absolute et indiscriminatim omnibus commendare, nisi ea vera esse sciat, et ipse uti talia habeat.

Quae hucusque disputata sunt satis superque essent ad plenam auctoritatem libris V. T. vindicandam, neque adversarii aliam demonstrationem (criticam scilicet) a nobis iure exigere possent. Ut

tamen liberalius cum iis agamus praestabit nunc criticam etiam demonstrationem adicere, qua scilicet eidem ordini insistentes, quem pro libris N. T. secuti sumus, criticis argumentis ostendemus librorum V. T. 1° authenticam, seu *genuinitatem*: 2° conservationem atque *integritatem*: 3° historicam *veracitatem*. Sit itaque

CAPUT II.

DE LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI GENUINITATE DEMONSTRATIO CRITICA.

Recolantur quae alio loco disserimus de genuinitatis conceptu. Hic tantum monerimus in controversia de libris V. T. conceptum genuinitatis *absolutum* et *negativum* potius quam *relativum* ac *positivum* spectandum esse eo quod plurium librorum V. T. auctores lateant, et quandoque etiam epocha ignoretur, aut saltem haec omnino incerta sint, quum tamen de librorum suppositione, vel illegitima origine nulla prorsus suspicio moveri possit.

Ut autem demonstratio accuratior ac plenior sit, dividemus libros Moysi, seu Pentateuchum, a posterioribus libris. Praemittemus vero demonstrationem de genuinitate librorum Pentateucho posteriorum non solum quia facilior est, sed potissimum quia horum librorum auctoritas nobis necessaria erit ad Pentateuchi auctoritatem demonstrandam, de quo nobis praecipua cum Rationalistis erit controversia. Rursum in tractatione de libris Pentateucho posterioribus non agemus fase de singulorum authenticam, cum eadem argumenta plus minus pro omnibus valeant: nec tamen ex alia parte ea quae singulis propria sunt omnino praeteribimus.

Itaque 1° generali Thesi omnes libros Pentateucho posteriores genuinos demonstrabimus, eo scilicet sensu, quo minime spurii vel per fraudem aliquam editi dici possint: 2° vero de singulis aliqua subiciemus, scilicet de eorum argumento, epocha, auctoribus quatenus ex antiqua traditione, vel ex internis ipsorum librorum characteribus concludere fas est: 3° denique de Pentateuchi genuinitate tractabimus.